



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Candidus animus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

*Modestis ex-
terior.*

*Lingua mode-
ratis.*

*Candidus ani-
mies.*

dire iussus. Sobrietatis constantiam nullæ locuple-
tum, magnatumque, quas cogebatur interdum
subire, de suo gradu dimouebant epulæ. Neq; ea
tñ siue per ostentationem leuis, siue per tristitiam
onerosa conuiuio, sed ab religiosæ comitatis de-
linimento, cæteræq; vitæ conuenienti, illustriq;
tenore venerāda, & amabilis erat. Vultus, conspe-
ctus, incessus, gestus, & quicunq; motus ad Chri-
stianam humilitatem, & seriæ personæ speciem
compositus. Cultus corporis, atq; amictus Euan-
gelico pauperi consentaneus, procul à sordibus,
sed multò magis à nitore; neglectior, quam cu-
riosior. Oratio cum maturitate lenis, & sine au-
steritate grauis. Risus perrarus, isq; grauitate con-
ditus, idemq; non nisi index humanitatis, & cari-
tatis in tempore condimentum. Lingua in qua
emendata perfectionē merito statuit S. Iacobus,
planè sancta, nescia nugarum, in mediis aulis re-
ligiosa, vbiq; cælestia laudum diuinarum mella
manans. Candidus, ac liberalis animus: ad inna-
tam bonitatem addita bonæ simplicitatis volun-
taria cultura, diuinæque ante omnia perfectione
gratiæ. Benignus in existimatione, ac prædicatio-
ne alienæ virtutis. Gregorium quidē Rōsephium,
& Pau-

& Paulum Hoffæum, quorum alterum in concionibus Augustanis, alterum in Prouincialatu successorem habuit, miris laudibus, longeque sibi anteferens, extollebat: atque ita ingenuè, nihil ut ^{ingenua benignitas.} ambigeres, quin ex animi sententia loqueretur. Sapiëntiam quoque, ut sine fictione didicerat, ita sine inuidia communicabat, aliena opera exponens, sua inuenta conferens, extimulans hos, alios iuuans ad scribendum, & edendum, quæ salutaria publice forent. Minimè erat suspicax, minime malum cogitans: ex bonitate, innocentiaque sua quicquid offerretur vel in optimam accipiebat partem, vel interpretabatur quam mitissime. De nemine conqueri, multo minus obtrectare cuiquam, vel cum quopiam quamuis in religionis certamine altercari.

Insignis erat mansuetudo: ipsos ex animo miserabatur Hæreticos, & deterrimum quemque plurimum: pro quibus & faciebat assiduè, & vndique conquirebat ad Deum preces. Habuit mansuetudinis promendæ campum præter maledicta, & calumnias fœde contumeliosas Hæreticorum, cum Ingolstadij olim, tum postea Augustæ ab iis, quos minimè oportebat.